



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasij Logici repetiti

DIATRIBE X.

DE

SYLLOGISMI DEFINITIONE & principiis.

Disputationis loco

Ad Sententiarum collationem in Gymnasio Dantiscano proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore Publico.

Respondentis partes obtinente

JOHANNE PECHMANNO,

Dantiscano Borusso.

Ad diem 31. Decembris, S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

Anno M. DC. XXXIX.

Gymnasij Logici repetiti
DIATRIBE X.
De syllogismi definitione & principiis.

1.

IN *delubro Eleæ Minervæ* triplex *Veteribus erat structus* columnarum ordo: primus, *qui ingredientibus se offerebat, Dorici operis; Secundus Corinthiaci; Tertius juxta templum, Jonico artificio erat elaboratus. Id autem fiebat, cum multiplex esset facultas Deorum, quibus templa exstruebantur. Vt notat* Comes l. 1. myth. c. 10. *Triplex notio Logico ad struendum Vniversum ædificium Logicum elaboratur: quòd ejus ad disserendum varia & multiplex potestas sit.* Simplex, *quæ objectivæ rei apprehensioni:* Compositiva, *quæ conceptuum compositioni,* & Illativa, *quæ argumentationi vel unius ex alio tanquam ex antecedente causali eductioni inserviat. Et totidem Logicæ artificialis partibus respondent hæc Logica Opera. Exegimus prima & secunda: perlustranda restant Tertia, quæ syllogismi ampliter vocem usurpando,* V. t. 7. *dicuntur, Et parti Logices tertiæ pro objecto substerni solent.*

2. *Syllogismus tractari potest* vel præcognitivè vel cognitivè. Præcognitivè *tripliciter. An detur? An adæquatum Librorum Analyticorum & partis tertiæ objectum? Quot modis consideretur, & quomodo hic imprimis tractetur?*

3. Quà primum: *Dari syllogismos patet argumento* & artificiali, *quia datur discursus naturalis, ut docet experientia omnium benè sensatorum, Cui reclamare insanum est. E. & instrumentum, quod illum dirigere debet. Nam ille interdum errare potest à vero: Et opus artificiosum, ut noëma Logicum à naturali discursu expeditum, quomodo Enuntiatum opus Logicum secundæ mentis operationis, compositionis conceptuum est,* V. t. 4. 6. 13. *At tale quid est syllog. artificialis in*

Logicâ elaboratus. Et Inartificiali; *Testimonio omnium Logicorum, qui syllogismum in suis scriptis omnes in universum proponunt.*

4. Quà secundum, *tria quæruntur.* 1. An adæquatum librorum Analyticorum & partis tertiæ Log. objectum? *Variant sententiæ.* Clitoveus & Marsilius *argumentationem,* Averroës & Alexander *demonstrationem librorum Analyticorum objectum faciunt. Alij aliter. Distinctè hic dicendum,* 1. Analyticorum priorum *objectum tractationis est syll. simplex quà formam consideratus: Nam ille in illis libris pertractatur: Objectum nobilitatis demonstratio esse potest. Et sic Arist. hic de demonstratione agi dicit,* 1. prior. c. 1. & 4. *Vt benè* Conimbr. præf. l. 1. Prior. *Vel synechdochicè Aristot. per Analytica intelligit An: posteriora, tanq. nobiliora, & majoris difficultatis scripta, Vt placet* Cl. I. M. C. 3. d. 2. q. 1. 2. Analytic: posteriorum objectum *tractationis est demonstratio, ut benè* Tolet: præf. l. 1. post. *Nam hujus principia, partes, & passiones ibi quæruntur & proponuntur. At hoc de objecto aliquo in disciplinâ fieri solet.* 3. Omnium librorum Logicorum *de syllogismo tractantium, ut Analyticorum, Topicorum, Elenchorum, & sic partis Tertiæ Logicæ universæ, adæquatum & totale objectum est syllogismus in universum sumptus, & formalis & materialis, & necessarius, & probabilis, & apparens, Et simplex & compositus. De* simplici *res patet, diligentissimè n. in omnibus istis libris tractatur. De* Composito *in Analyticis nihil habet Aristoteles. In Topicis explicans locos antecedentium, consequentium, comparationum,* l. 2. Top. c. 2. 3. *de syllog. connexi modis obiter quædam inspergit, ut notant* Conimbr. præf. l. 1. prior. *& facto compositos interdum usurpat,* 1. prior. c. 21. 23 l. 2. pri. c. 11. & l. 2. Top. c. 3. *Interpretes,* Theophrastus, Eudemus, Bo-

ëtius.

ẽtius, Philoponus, *plura addidêre, & uberiùs compositum explicuerunt. Ab Aristotele omissus est, quia* partim *ad demonstrationem, ut perfectissimum Logicæ instrumentum, semper respexit, ad quam parùm conducent Enuntiata composita*: partim *ipse syllog. comp. virtute simplicis, quem in se habet, concludit, ex resolutione in simplicem ex quo constat, vis inferendi tota in eo consistat & animadverti debet, si firmiter per eum probari aliquid debet, Vt plurib.* d. 11. t. 8. *dicetur. Vulgò objectum partis Tertiæ Logicæ Tertia mentis operatio dicitur.* Keck. tr. 3. præcog. Log. c. 2. q. 11. *Rectiùs istius Tertiæ operationis noëmata & opera, vel gradus tertij secundarum notionum ex tertiâ operatione producti objectum tractationis esse dicuntur.* Conf. Zabar. l. 1. d N. L. c. 3. & dis. 1. Log. t. 23. d. 7. t. 3. & hanc ipsam disp. t. 7.

5. 2. Si objectum partis tertiæ, an primo loco tractandus Syllogismus in forma? An materiali Topico præponendus? *Recentiores quidam apud* Conimbr: c. l. *negant, quòd inventio sit prior Judicio, & priùs materia sit comportanda, quàm forma aptetur. At materiam subministrari in Topicis. Idem sentit* Dusa l. 4. Log. c. 2. n. 1. *seq. & facto ita procedit. Quòd & materia prior formâ sit, & generaliter omni syllogismi formæ subjiciatur, & facilior ejus, quàm formæ, cognitio sit, & proximè ê naturâ Enuntiatorum fluat, quæ libro 2. Log. explicata. Sic ergo Enuntiationem ipsam proximè materiam syllogisticam excipere debere. Circa hæc nota 1.* Materia generalis *& communis, qualis in Syllogismo sunt* Termini *&* propositiones, *præcedentibus jam sunt elaborata; Eaq; præcedere debet formam syllogisticam, & præcessit jam: specialis, quæ cuidam saltem rei inserviat, qualis est in Topicis, ubi Syllogismus applicatur materiæ probabili & talib. enuntiatis, accurato doctrinæ ordine postponi debet. Sic*

enim communissima in artibus sunt præponenda specialibus. A generalibus n. pendet intellectus specialium. At communius quid, Dispositio formaliter sumpta, quàm certæ materiæ applicata. Ergò Syllogismus formaliter sumptus præmittendus Syllogismo Topico: ille enim generalis, hic specialis. 2. Materia *prior formâ in naturalibus, & ordine producendi: Sed forma prior materiâ in artificialib. & ordine intendendi ac docendi. Si sutoriam docere velis, prius de formâ calcei & modo inducendi eam docendum, quàm corio aliavè materia. Forma in ideâ semper præconcipitur & in docendi accurato ordine præmittitur, Etsi utcũq; in re & existentiâ materia interdum prior sit. Nec semper ordo docendi* ad ordinem existẽdi in naturâ *est alligatus: sed ad faciliorem & distinctiorem cognitionem. Hic autem per analogiam in artificialib. versamur, non naturalibus. Logicæ habitus artificialis est, non naturalis: eoq; ordinem proponendi in artificialibus imitari debet.* 3. Omni formæ *syllog. subjicitur materia; sed generalis, non specialis, Vnde Topicus, Apodicticus syllog. dicitur, & quam nos formæ syll. postponimus. Cognitionem ejus faciliorem cognitione formæ syllog. esse experientia & usus reclamat. Materialia principia, ut apodictica, Topica, invenire, animadvertere, distinguere, adhibere, ac legitimè ex illis arguere longè gravius, quàm syllog: aliquem in 1. 2. 3. figurâ formare. Hoc & puer doceri potest: Illud non nisi majore judicio præditus.* 4. Proximè *à natura enuntiatorum materia syllog: fluit, sed generalis: specialis ex peculiari Enuntiatorum* materiali habitudine, *necessitate vel contingentiâ, fluit. Ante materiam tamen generalis formæ in materiam importandæ in artificialibus concipienda idea, si dextrè procedi debeat.*

6. *3. Quæritur,* Cur analytici isti libri vocantur, cum maximè constructio syllogismi in illis doceatur, non resolutio

solutio? *Sic magis synthetici vocandi fuissent?* *R.* Vel *inscriptio ista non est ipsius Aristotelis, sed ab interpretibus adhibita, ut censet* Galenus libr. d. op. Aristot. *Hic enim priora Analytica de ratiocinatione, posteriora de demonstratione appellat* l. 1. poster. c. 3. Vel *analysis hic Mathematicè sumitur pro unius propositionis ad aliam, â quâ dependet, reductione, Et sic eodem modo syllogismus in his libris ad suas partes & principia, ex quib. constat, revocatur.* In priorib. *Anal. ad figuras & modos, è quibus structura ejus constat:* in posteriorib. *ad principia necessaria, ex quibus procedit, & quæ in se continet.* Vel *à difficiliori, nobiliori & utiliori operatione Logicâ sumpta inscriptio, quæ analysis. Plus enim operæ & difficultatis in justâ resolutione syllog. quàm compositione est, ut experientia docet: Et qui accuratè noverit resolvere ab aliis contexta, etiam benè noverit syllogismum construere. Sed non vicissim, si benè construere, & ab alio constructum accuratè resolvere. Plus enim hoc requirit, quàm illud. Hoc nonnisi præceptis expeditur: Illud solo ingenio expediri potest. Etsi quoad rem unus actus intellectus esse queat, componere & resolvere: quoad rationem tamen, modum procedendi, terminum â quo & ad quem, & finem specialem operantium ac intendentium resolvere aut componere distinctissima sunt, Ut* in præcep. pæd. Log. l. 3. c. 1. §. 5. *dictum. Et plus laboris in resolvendo sæpè est, quàm componendo,* V. c. l. c. 5. §. 1. Vel *per resolutionem distinctiùs sub aspectum mentis partes syllogismi & demonstrationis veniunt, quàm compositionem: Ibi conjunctæ sub confusione velut latent, quæ analysi ad particularem manifestationem distinctè eruuntur. Sic quæ authores in scriptis interdum peccârunt confundendo, mutilando, pervertendo, distinctè per analysin repræsentantur, cum in scripto composito valdè occultata, involuta & incrustata laterent.* Quâ tertium præcognitum, Syllogismus

mus spectatur vel *ut discursus naturalis, sic ad doctrinam de animâ rationali pertinet:* vel *ut opus Logicum & artificiosum ex discursu productum, relictum, & pro dirigendo intellectu in ratiocinatrice disciplinâ, qualis Logica, perfectè elaboratum & propositum. Hoc modo* in actu signato *sumitur, & solius Logicæ opus est, ac in eâ proponitur & inter coetera ratiocinandi noëmata tractatur.* In actu exercito, *ut in materiis ipsis est, adhibetur, & ex discursu naturali vel artificiali relinquitur. in omnib. disciplinis & facultatibus locum habere potest.*

7. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est* nominalis & realis. Nominalis triplex. 1. Homonymica. Syllogismi *vox variè sumitur.* 1. Latissimè, *ut omne instrumentum sciendi comprehendit, etiam methodum.* V. Zabar. l. 3. d. meth. c. 3. *Ita* διάνοια *interdum omnem intellectionem notat, etiam simplicem.* V. Scheibl. l. 2. Meta. c. 4. n. 189. *Hac significatione utuntur* Ramei, *Vt* Ramus, Dunamus, Beurhusius, Vives, Pet. Martinius, Casmannus, *alijq;, Quib consentiunt* Keckermann. l. 3. s. 1. c. 1. Alstedius l. 7. Log. har. c. 1. Magirus l. 6. Phy. c. 19. §. 56. Conimbricens. in 1. prior. c. 1. q. 2. a. 1. *Vnde tertiam Log. partem in inferentem & ordinantem dividunt,* Vt Kec. Alst. Conimbr. & alij. *Alij tamen eam negant, quod nova & veteribus incognita sit, cum Syllogismus ignotum ex noto colligere debeat, non solùm à noto ad ignotum progredi, ut* Ram. & Keck: *volunt.* V. Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 9. q. 1. *ubi ex authoritate veterum Philosophorum id probat. Si apud Philologos interdùm secùs est, Philosophos de distinctis distinctè loquentes hoc stringere non potest. Discursus enim vox hic ita sumenda,* ut solius partis Log. tertiæ sit propria. *Hanc enim discurrere dicimus. At ordo & cæteris partib. communis est, Vt* d. 16. *patebit.* 2. Latè *[illegible] illatione, quæ non sit methodus. Ita in hac materiâ*

à qui-

à quibusdam sumitur. V. Scheibl. d. syll. c. 1. n. 4. *Sic & illationes imperfectæ, ut Enthymemata, Inductiones, syllogismi cõpositi, Syllogismi dici solent. Huc pertinet, cum apud Arithmethicos qualiscunque computatio Syllogismus dicitur, unde Arithmetica Logistica dicitur.* 3. Strictissimè, *vel pro solis præmissis, Sic* 1. post. c. 2. *dicitur, demonstrativum Syllogismum constare ex causis conclusionis: vel pro solâ Conclusione, sic* 1. prior. c. 4. 5. 6. *dicitur in inutili modo non fore syllogismũ, id est, Conclusionem.* Monlorius *in phrasi Aristotelicâ in* 1. *An.* ἔςαι συλλογισμός, *semper hunc sensum ponit.* V. Wegerum c. 1. q. 9. n. 4. 4. Strictè *pro aggregato ex præmissis & conclusione profecto, sub forma & modo aliquo directè contento.* Vt 1. prior. c. 1. & 2. prior. c. 23. *Sic excludit syllogismos imperfectos. Et sic magnam partem hic sumitur. Hoc modo* vel *ipsam operationem naturalem argumentandi notat:* vel *opus & noëma aliquod artificiale & Logicum ex eâ productum, quo intellectus in argumentando dirigi debeat, ne â vero erret, quod syllogismus dicitur,* V. c. 6. 13. *Hoc modo hic accipitur. Etymologiam & synonymiam ap.* Finckium c. 1. syllog. aliosq; vide. *Interdum consequentia dicitur, Vt notat* Keslerus d. conf. c. 1. *Græcis* λόγος, *item* ἐπιχείρημα, *&* λόγος ἐπιχειρηματώδης, *ratio manu invadens, quasi aggressio, ut quidam vocârunt, memorante* Quintil. l. 5. c. 10. *Periphrasticè Scaligero transmissio mentis inter metas noti & ignoti ap.* Barthol. l. 3. p. com. c. 1. *instrumentum & finis dialecticæ* Caso c. 16. Log. *Dialecticorum telum acutissimum* Eidē c. 17. *dicitur, & quæ sunt similia.*

9. *Fuit* Nominalis *Cognitio.* Realis *hoc loco duplex esse potest,* definitiva, & principiorum.

10. Definitio sit: Syllogismus est argumentatio ex positis quibusdam aliud necessitate formæ naturali processu concludens.

11. De-

11. Definitio *constat* genere & differentiâ. Genus *est* argumentatio. *Argumentatio est* dispositio propositionum, ignotum ex noto *velut medio termino* inferens. *Vnde syllogismus nil aliud, quàm dispositio quædam, quâ in re ut generico conceptu convenit cum propositione, Vt dictum* d. 7. t. 15. *Et* argumentatio *nil aliud, quàm ratiocinativa dispositio: Estq; vox argumentationis adeò lata, ut quamvis ratiocinationem, etiam imperfectam, ut Enthymema, soritem, Inductionem, Syllogismum compositum, comprehendat, Quæ Omnia argumentationes dici possunt: Tota tamen Syllogismi definitio illis non competit ut post patebit: & sic syllogismi dici non possunt, nisi remotè, virtute: aut latè vocem Syllogismi usurpando. Cum perficiuntur, syllogismi fieri possunt. Estq; argumentatio genus analogum ad syllogismos, quibus primò & per se competit, & imperfectas argumentationes, quibus secundò & per aliud, per ipsos syllogismos, in quos redigi possunt. Multa horum* ex d. 11. t. 7. seq. *patebunt.*

12. *Circa genus syll: assignandum magna alioquin est Authorum varietas.* Ramei διάνοιαν. *s. discursum ponunt.* Ram. l. 2. dial. c. 9. & l. 7. Sch. Log. c. 3. Piscat. in h. l. Olevian. l. 2. dial. c. 11. Beurh. l. 2. coll. c. 9. Snel. l. 2. dial. Log. c. 9. Scheibl. d. syllo. c. 1. n. 17. Conimbr. l. 1. prior. c. 1. q: 2. a. 1. *Alij dispositionem.* Keck. c. l. Libavius l. 2. Log. Phil. Ram. p. 540. Alsted. *instrumentum dianoëticum.* l. 7. Log. harm. c. 1. Mendoza modum *sciendi*, d. 10. Log: s: 9. 10. Aristoteles λόγον *definiit.* l. 1. prior. c. 1. & 1. Top. c. 1. *Quam vocem* alij per Orationem *interpretantur*, Gellius, Boëthius, Hildenius, Scherbius, Flacius, Hippius, Stengelius, Perionius, &c. Alij per *rationem*, ut Machorius, Burana, Scheiblerus, Goclenius, Crellius, Finckius, Bartholinus, Bertius, & alij. *Hæ sententia*

tiæ partim conciliari possunt, partim veri partem aliquam habent, partim nimis remotæ sunt. De quo adverte sequentia.

13. 1. Syllogismus *rectè definitur argumentatio, ratiocinatio, discursus, διάνοια, illatio, Ratio: Nam hæc vocabula hactenùs æquipollent, & notant non discursum aut ratiocinationem naturalem, quæ non potest esse genus operis artificiosi, ut benè objicit* Alsted. c.l. *Sed ipsum* opus *seu notionem à Logicâ efformatam, discursum naturalem dirigentem,* V. t. 6. 7. *Prout aliàs non infrequens est, idem nomen significare & rem naturalem, & habitum artificialem. Sic ira, audacia, misericordia, significant & affectus naturales, & habitus acquisitos.* V. Scalig: ex: 307. s. 4. *Sic voluntas significat & rem volitam & ipsam volendi actionem.* V. Scheib. c.l.n. 24. *Ita ergò discursus, argumentatio, ratiocinatio, ut opus artificiosum notant, quidditativè prædicantur de syllogismo, qui est tale opus. Et quidem genericè, competunt enim Syllogismo & vocali & mentali, perfecto & imperfecto, ut speciebus sub genere contentis. Et sic argumentatio idem omninò est cum instrumẽto Dianoëtico, quod urget* Alsted. *Et sic ejus sententia quà rem planè cum nostrâ convenit: Nisi quòd in hac clarius ponatur vocabulum, unâ voce expressũ, (quod, si per voces licet, omninò in definitionibus est præferendum) & absolutum: Nam syllogismus primò est absolutum quid: secundò relatum transcendens & secundùm dici, non esse, Vt benè* Cl. I. M. c. l. q. 4. *Ita omnia noëmata Logica sunt instrumenta ratione usus & applicationis: Ita ipsa Logica est instrumentum.* Conf. d. 1. t. 11. 19. *In istâ obscurius, duabus vocibus enuntiatum, & relativum.* 2. *Syllogismus est ens per aggregationem: Ideò non ejus rigidum genus est quærendum, quale in simplicib. & directè prædicamentalibus rebus est. Sufficit, si detur vero proximum.*

14. *3. Adæquatum Syllogismi universè sumpti genus est*

λόγος, id est, ratiocinatio: Nam hæc & mentali & vocali syllogismo competit: Et sic explicanda vox Aristotelis λόγος, quæ significatio est apud ipsum Philosophum l. 1. Top. c. 12. *Vt syllogismus in communicatione spectatur, sic & oratio seu vox ad eum requiritur. Et sic λόγος etiam per orationem reddi potest. Non enim repugnat syllogismo, Oratione vel prolatâ vel scriptâ exprimi. Primariò tamen hic ad opus mentale respiciendum. Quod, ut primarium, Naturæ Logices objicitur. Alicujus syllogismi, ut vocalis, genus potest esse Oratio: universi nequaquam.* Conf. Cl. I. M. c. Kec. l. 3. ſ. 1. c. 1. & l. 2. dis: Ram. c. l. q. 4. & c. 3. q. 1.

15. 4. *Si dispositio hic intelligatur discursiva dispositio & multarum propositionum ad inferendum tertium quid aggregatio ac ordinatio, ut intendit* Keck. c. l. *& explicat ac probat* Zanakius l. 3. ſ. 1. c. 1. q. 3. *benè syllogismus definitur dispositio, estq; nil aliud, quàm ratiocinatio vel discursus,* V. t. .11. *& ut genus aliquod diversas ac valdè analogas species sub se comprehendit, perfectam & imperfectam, Vt c. l. dictū, sicq; ut plurib. specieb. quàm syllogismo competens rectè ejus genus esse dicitur, Et quà genericam vocem dispositionis syllogismus cum propositione convenit: Si Dispositio in genere, nimis remotè definitur. Abstrahit enim à* diſcurſivo & non diſcurſivo, *quale syllogismus non est, ut discursivus tantùm. Sic actus conclusionem inferens, id est, discursio, seu ratiocinatio, propius genus est, ut benè* Barthol: l. 3. p. com. c. 1. & Wegerus c. l. q. 6. n. 3. *Quòd si ita dispositionem indifferenter intellexit* Keckerm. *remotè sane definivit, nec præcisè tenendus est. Antecedens tamen vix est credibile. Nec* noſtro generi obſtat, quòd ſyllogiſmus ſit ens aggregatum, *cujus genus partes materiales potiùs sint, quàm dispositio. Nam in aggregatis notionalibus non impedit, formam poni pro genere*

nere. Sic propositio est aggregatum ex terminis, benè tamen definitur è formâ suâ, dispositio. V. d. 7. t. 15. *Sorites, inductio, sunt aggregata: benè definiũtur à suis formis, argumentationes. Et sic in accidentium definitionibus, quas imitantur Notionalia, usitatissimè forma obtinet locum generis. Sic albedo est color. Paternitas est relatio. Habitus disciplinares sunt aggregata. Communiter tamen ex genere per formas definiuntur, scientiæ, prudentiæ, habitus instrumentales, &c. Negat idquidem* Sagittar. C: 4. Log. d. 4. t. 2. *cum Rameis: sed à Peripato communiter defenditur.* Conf. Cl. I. M. C. 10. d. 5. q. 1. & d. 2. d. perf. t. 56. 57. Zabar. l. 4. d. meth. c. 14. Corn. Mart. prol. Log. c. 4. *Imò & in aggregatis realibus genera à formis sunt. Sic Respublica est ordo, Exercitus est ordo vel dispositio, etsi è materialib. suis partes ipsæ dispositæ sint.* 5. Modum sciendi *syllogismum definire & remotum, & æquivocum est.* Remotum, *Nam omnia noëmata Logica possunt dici modi sciendi, quia ad eum ut instrumenta in usu adhibẽtur: Sic & termini partis primæ instrumẽta ad sciendũ adhibita & sic modi sciẽdi sũt. At hic* de noëmate partis tertiæ *q̃ritur, cui determinatio genꝰ est assignandũ.* Aequivocũ, *Nam tota Logica est modus sciendi. Sic Arist. absurdum dicit, quærere scientiam & modum sciendi. Nec rigidè syllogismus est ipse modus sciendi, sed instrumentum ad eum conducens. Et aliàs plura significata habet vox ista* V. ipsum Mend: c. l. f. 1. *Et cum suppetunt propriæ, significantes, & usitatæ voces, nil opꝰ subrogare in definitionibus æquivocas & inusitatas, vel non ita aptè rem, quam debent, significantes.* 6. Actum Intellectus inferentem *syllogismum definire materiali sensu possumus, quia ex parte rei syllogismus in primario suo spectatus est actus intellectus discurrens s. unum ex alio tanquam ex medio inferens,* V. t. 13. 14. *formali non; sic enim est opus ex i-*

 sto

isto actu in intellectu redūdans & relictum, ac tanquam artificiale ad discursum dirigendum in Log. propositum. V. t. 6. 7. *Actus vocabulum utrumq; notare potest, & ἐνέργειαν s. operationem, & ἐνέργημα s. opus ab operatione relictum, Quomodo & effecti vox in doctrinâ causarum utrumq; notare solet.* 7. Actus hic intellectus *non est realiter unus, & ratione saltem diversus, ut* Scotus *voluit*, 2. sent. d. 7. q. 1. & d. 9. q. 3. *Sed & realiter & notionaliter diversos aggregat, unde aggregatum noëma dicitur*, t. 13. 15. *Complectitur enim & actum antecedentem, unde alius elicitur, & consequentem, qui elicitur, ut in definitione insinuatur per aliud ex alio sequens.* V. t. 17. *Unum autem & simplex non antecedit aut sequitur seipsum, sed aliud.* V. c. l. 8. Opus hoc Logicum, *syllogismus, & à mente hominis producitur, & in eâ terminatur ac existit. Etsi n. de materiâ concludat de rebus: tamen id ut objectivè repræsentatis facit, quæ repræsentatio extra mentem non est. Forma ejus, dispositio discursiva, nuspiam extra mentem reperitur. Frustraq; hæc impugnat* Timplerus l. 4. Log. c. 1. q. 3.

16. *Fuit* genus *syllogismi: sequitur* differentia. *Ea cæteris verbis definitionis absolvitur.* Dicitur 1. Ex positis quibusdam. *Posita* quidam *per* concessa *explicant*, ut Boëthius, Gellius, Averroës, Fonseca, *& alij apud* Ch. I. M. C. 3. d. 4. q. 1. *Quibus consentit* Mend. d. 10. Log. s. 10. §. 44. Quidam *per* disposita *seu præmissa, ut* Regius, Crell. Tartaret. apud eundem c. l. Barch. c. l. c. 1. *Rectiùs hoc. Nam hic adhuc de sillogismo in merâ formâ agitur, abstractâ adhuc materiâ verâ, quæ concessionem requirat: Et ostenditur hic saltem forma consequentiæ, quæ & è falsis præmissis inferri potest, sive eæ ut veræ concedantur, sive non: dummodò præmittantur, ex ijs necessariò exsurgit Conclusio. Ostendit hoc Aristoteles* exemplis istis Abecedariis, *quæ frustâ exagitant*

agitant Ramei, V. Cl. I. M. c. I. c. II. q. 3. *Cum evidenter materialis & formalis syllogismi discrimen importent, Quod in Log. observare imprimis necessũ est. Sic omne animal est bipes. Omnis lapis est animal. E. omnis lapis est bipes. Si istæ præmissæ præmittantur, necessariò subsequitur per formam conclusio: sive illa præmissa concedantur, sive non. Id verum, non posse nos alienum in certâ materiâ redarguere, nisi ex concessis præmissis. Sed hæc ratiocinatio jam ad materiam, de quâ disceptatur, respicit, non in nudâ formâ manet, de quâ hic agimus. Nos formam illationis attendimus, etiamsi in absurdissima materiâ sit, quæ nunquam concedi possit. Si tamen concessa* latissimè *sumas, sic idem erit ex concessis arguere, & præmissis.* Conf. Scheibl. c. l. n. 29.

17. 2. Cum *quædam posita dicuntur, intelliguntur duæ præmissæ: adeoq; duo actus intellectus præcedentes, abjuncti adhuc: Qui junguntur à Tertio, qui conclusio dicitur. Debent ergò in syllogismo perfecto, de quo hic agimus, plures esse actus, quã Vnus: Nam si una præmissa esset, non est consequentia formalis, nec sufficiens ad legitimam illationem. Et sic cognitio unius non solùm* post aliud, *sed &* ex alio *est & per aliud, cum motu de cognitione in cognitionem, objecto in objectum, adeoq; dependentiâ essentiali posterioris à priori, quæ formaliter discursum facit. Necessariò ergò talis dependentia plures actus requirit.* Conf. t. 15. 3. Isti *tres actus* vel *possunt successivè elici, quando antecedens nondum satis est notũ, quomodo sit caussa conclusionis, Tum enim suspendi potest actus illationis:* vel *in instanti, cum satis penetrata sunt præmissæ. Hic quia conclusio pendet à præmissis causaliter, potest in eodẽ instanti cum illis agnosci, cum non semper inter caussam & effectum necessariò prioritas temporis requiratur: Nec motus, qui hic in discursu est, sit propriè dictus, sed analogus: cui nil*

 obstat,

obstat, instantaneum esse, ut in mutationibus instantaneis, ut illuminatio, apprehensio judicativa, patet. Nec realiter hinc unus actus fient, Etsi tempore simùl sint. Ordinis *enim variatio & successio manet; etsi temporis desit. Sic tres infantes uno momento geniti reverâ differunt, etsi tempore simùl incipiant. Actibus diversis quà ordinem producuntur, etsi uno eodemq; momento.*

18. Dicitur 2. Aliud quid sequitur. Aliud *hic est ipsa Conclusio seu illatio. quæ est actus inferens tertium ex duob: actibus positis seu præmisis. De eâ nota:* 1. Conclusio *non tantùm est successio quædam actus, quæ discursum perficiat: sed & illatio ex præmissis facta. Non est solùm* ex præmissis & post eas, *quomodo re unâ cognitâ progredimur ad aliam;* sed & propter præmissas, id est, *habet dependentiam suam ex præmissis, non quà nudam existentiam, qualis & in primâ & secundâ mentis operatione est: sed in primis* quà causalitatem & illationem: *non causalitate Physicâ, sed Logicâ & determinativâ. Nam hic cognoscitur alterum ob positionem antecedentis, ut caussam: Nam præmissæ sunt velut causæ determinantes intellectum ad eliciendam conclusionem: Et in hac consequentia & assensu illativo, quo posteriori assentimur propter prius, quod positum est, consistit essentia discursus. Ac per hoc operatio tertia à secundâ & primâ Logicâ distinguitur.* 2. Actus ille *illativus, quà judicat componendo aliquid vel dividendo, est propositio, & ad secundam operationem pertinet: Quâ judicat aliquid cum dependentiâ causali ex alio, ex quo ut causâ consequitur, est ipsa Conclusio, ratiocinatio, & ipsa syllogisatio, & ad operationem tertiã pertinet.* 3. Illatio *passivè sumpta, id est, actus unus illatus ex altero, est ipsa consequentia syllogistica: activè sumpta, id est, actus inferens unum ex alio, est operatio mentis ratiocinantis, cujus opp*

dicitur syllogismus. *Respectu intellectus* est actus inferens activè, *i.e. qui unum ex alio educit: Respectu totius syllogismi & præmissarum, unde consequitur, est* inferens passivè, id est illatus ex alio & *eductus.*

19. 4. Conclusio *est aliud à præmissis actualibus, id est, non est talis propositio, qualis actu est aliqua præmissa: Sed non à virtute præmissarum: Nam in illâ latebat Conclusio, & ex virtute & vi illarum educitur. Et hoc vult Philosophus, verbis, eò, quòd hæc sunt.* Conf. c. 18. *Conclusio* quâ dispositionem & *illationem aliud est à præmissis:* non quà *extrema illata, quæ plura inferre non potest, quàm à præmissis sunt præassumpta, ut in Log. doceri solet. Et sic ex parte objecti non potest conclusio realiter differre ab præmissis objectivis: Nam alicui in præmissâ posito oportet identificari. Oportet enim eadem esse uni tertio, quæ inter se eadem esse probari debent, Ut habet Canon consequentiæ syllogisticæ. Secùs nihil probabitur. Ex parte ipsius dispositionis extremorum aliud sunt præmissæ, aliud Conclusio.* 5. Intellectus *assentiens præmissis necessariò assentit Conclusioni & quà speciem actus, & quà exercitium: Nec potest ejus assensus impediri à voluntate* directè, *inhibendo istum assensum: Sed* indirectè, *id est, vel divertendo ipsum in aliud objectum à præmissis: vel nimiùm alteri objecto affigendo, vel non satis accuratè in præmissas defigendo, ut illis plenè assentiatur. Nam intellectus est actus necessarius, non formaliter liber, ut voluntas. Non ergò potest actum suum circa verum particulare suspendere, ut voluntas suum circa bonum particulare. Nec subditur voluntati circa objectum* evidens, *ubi necessariò assentitur: sed* obscurum, *ubi non evidentem habet cognitionem, aut non sufficientem. Voluntas suum actum inhibere potest etiam contra intellectum, & in eo maximè voluntatis libertas consistit, ut contra* Bellarminum *benè probant*

probant D. Meisn. d. 21. Antro: q. 7. & p. 3. P. S. s. 1. c. 1. q. 6. & Becanus p. 2. T. 1. Th. Sch. tr. 1. c. 2. q. 5. *ac ulterius* d. 2. dec. 3. misc. t. 11. *discussum. Et in peccantibus in Spiritum Sanctum manifestissimè patet, qui* scientes volentes *oppugnant & blasphemant sufficienter cognitam veritatem, quam intellectus clarè & copiosè legitimam esse assequitur. Voluntas tamen summè Corrupta respuit, odit, repellit, persequitur, satiusq; suæ libidini obsequi, quàm intellectus dictamen sequi ducit. Sed intellectus, cognitis præmissis, & benè universis perpetratis terminis minimè assensum inhibere, potest.*

20. 6. Consequentia *concretè sumpta est ipse syllogismus, & est sic idem ac ratio consequens: abstractè sumpta est velut comes & immediatum consequens formæ seu Dispositionis syllogisticæ, id est, virtus quædam ex legitimâ dispositione syllogismi existens.* V. dec. 1. Misc. d. 10. t. 2. 3. *Eadem consequentia per medium illativa est solius Syllogismi propria: qualitercunq; eductiva potest etiam in propositionibus esse. Sic in consecutione, Conversione,* Vi. t. 18. &. dis: 10. c. 1. 7. Consequentia ut sic, *non est principium solius rationis*, q. *ratio per se sola illud confinxisset, introduxisset, aut adhibuisset: sed naturæ, à DEo in naturam intellectualem fundamentaliter fixum, ab intellectu observatum & adhibitum, &* â DEo, Christo, Prophetis & Apostolis, *in utroq; Testam. copiosè usurpatum. Quod qui in Theologicis materijs locum habere debere negant, Ut ex Papistis quondam* Perronius, Arnoldus, Gonterius, Veronius, *Ex Nostris* Hofmannus, Olearius, Kittelmannus *& alij, sed* diverso scopo modoq; *fecerunt, Deo, Naturæ, & lumini ab eo condito impressoq;, ac praxi Christi, Prophetarum, Apostolorum, & communi intelligendi rationi contraveniũt, & ex intelligentib. creaturis bruta conformare allaborant, Ut plurib. alibi dicetur. Quædam ex* dec. 1. Misc.

c.l.t. 7. seq. *patent.* Qui *ad certum genus hominum aut hunc illumvè hominem eam determinant, ut Ecclesiam, Papã, Concilium, Cæsarem, status Catholicos, ut Papistæ,* Forerus im überschlag/ c.2. p.100. *aliiq; contendunt, intellectui humano & Logico injuriam faciunt. Consequentiam n. judicare, verané an falsa sit, ad intellectum humanum rectè se habentem & Logico Lumine illustratum pertinet, ut de constructione Grãmaticâ judicare ad Grammaticum, non Papæ, Cæsari, aut Prælatis alligandum, nisi quatenùs Logicos esse constiterit. Pluribus alibi hac de re.* 8. Conclusio *non est pars syllogismi partialiter pro præmissis sumpti, sed effectus: Et ita benè* Cl. I. Mart. Niphus, Lemovius, Pacius, Masius, Arniseus, Monlorius, *aliiq;: Syllogismi totaliter, ut discursus est, sumpti omninò pars est, non solùm materialis & extrinseca, ut* Masius *vult, sed essentialis & intrinseca: Ponitur enim in definitione syllogismi,* V. t. 18. *Et pertinet formaliter ad tertiam operationem Logicam,* V.c.l. *Et sic effectus cum suis causis totum aliquod aggregatum constituere possunt. Sic liberi cum parentib. familiam domesticam.* V. Zanack. l.3. Logi. s.1. c.1. q. 4. Conf. ampliùs Dn. Weg. q. 9. in l.1. prior. Goclen. p. 4. prob. q. 11. 12. Keckerman. l. 3. s. 1. c. 1. Mendozam d.10. Log. s. 12. Scheib. c.l. n. 55. Hipp. q. 28. Log. Finc. d. syl. c. 2. q. 3. Timpl. 4. Log. c. 1. q: 10. *Quidam formam syllogismi vocant. Hoc analogicè concedi potest.* V. Sch. c.l.n. 57. 58.

21. *Dicitur* 3. Necessitate formæ. *Nota* 1. Necessitas *alia est materiæ, seu consequentis & rei connexæ, quæ à terminis necessariò connexis pendet, quæ in Apodictico syllogismo requiritur: alia formæ, seu consequentiæ & illationis, quæ ex ipsâ Dispositione præmissarum pendet. Hæc hic intelligitur. Et hæc necessariò in Logicis ponenda est, ut benè* c. Rameos Cl. I. M. c:

I.M. c. l. c. 9. q. 2. probat. *Quicquid* Ramistæ *hic oggerant. Et hanc Aristoteles innuit verbis*, eò, quòd hæc sunt: *id est, Conclusio ex positis præmissis necessariò infertur, vi dispositionis.* 2. Necessitas *alia est absoluta, cum termini sunt entia necessaria, non dependentia à nostrâ operatione, ut Cœlum, Corpus, homo, animal: alia hypothetica, cum termini absolutè sunt entia contingentia, ut Temperantia, Virtus. Vtraq; necessitas hic locum habere potest in formâ. Sic: Homo est animal. Petrus est homo. E. Temperantia est virtus. Hæc actio est temperantia. E. Hic nuda illatio ex præmissis spectatur: In demonstratione Terminorum propria connexio accuratiùs expenditur* 3. Definitio *primò competit syllogismo simplici: secundò composito, per simplicem, in quem resolvi potest. Dicitur.* 4. Naturali processu, *ut illationis forma sequatur naturam rectè se habentem, eamq; perficiat, non distortè procedentē, eāvè evertat. Sic quarta figura rejicitur ex innaturali processu.* V. t. 27.

22. *Fuit* Definitio *Syllogismi. Ex eâ explicatâ plura patent, quæ hic moveri solent. Vt,* 1. An Deo conveniat syllogismus? *Negat* Scal. ex. 307. s. 8. August. l. 15. d. Trin. c. 14. *Et rectè. Nam syllogismus est illatio ignotioris ex notiori pluribus actibus successivis perfecta.* V. t. 18. *At nec Deo ignotum aliquid, nec successio actuum in eo, in quo omnia sunt* ἐν τῷ νῦν. *Intuitivè, penetrativè & comprehensivè cognoscit, non abstractivè, discursivè, & per actus ad actum successivè.* 2. An Angelis? *Omninò. Non enim illi omnia norunt, & successivè ab uno actu ad alterum progredi possunt. Dissentit* Tolet. in 1. post. c. 1. q. 1. Thomas p. 1. q. 58. a. 3. Drexelius in horolog. hor. 4. noct: c. 1. p. 28. *In ijs, quæ ipsis nota sunt naturaliter & insita, vel à Deo per species infusa, non utuntur discursu; In illis, quæ vel ipsis non nota, vel non*

ita distinctè nota, quæ notitiâ revelata & exprimentali cognoscunt, benè discursum adhibent. Conf. Alsted. Enc. l. 6. p. 2. c. 3. §. 3. & p. 3. c. 2. § 5. Scheibl. 2. Meta. c. 4. n. 193. *Plura in Pneumaticis de hoc.* 3. An brutis? *Ajunt* Plutarchus, Valla, Vallesius, & alij. *Malè. Nam syllogismus est opus rationis. At in brutis ratio non: Nam hæc ad differentiam hominis essentialem pertinet, & particula imaginis divinæ in articulo creationis considerata est. Quæ in brutis absurdè collocabitur.* Conf. dec. 3. misc. d. 2. t. 5. Scheibl. c. l. c. 8. n. 69. & d. syll. c. 1. n. 43. Timpler. 4. Log. c. 1. q 7.

23. *Hactenùs* definitio *Syllogismi: Sequuntur* principia. Principia *Syllogismi sunt,* ex quibus formatur ille, vel reformatur. Id est, *Quæ rectitudinem & esse dant syllogismo, vel evidentiam obscuro conciliant. Ea* quadruplicia *sunt:* Materialia, formalia, Directiva, & perfectiva. Materialia *sunt, quæ velut materiam syllogismi analogicam præbent. Suntq; vel remota, ut Termini, vel propinqua, ut propositiones.*

24. *De ambiguitate vocis Termini* Vid. d. 2. t. 11. *Hic sunt extrema, in quæ syllogismus ultimò resolvitur. Appellationis rationem Vide* apud Scheib. n. 67. *Suntq; tres:* Major, *prædicatum Conclusionis,* Minor, *subjectum, &* Medius, *qui rationem utriusq; dat. Vnde agnoscantur hi termini, Vide apud* Hipp. q. 27. Log. *Hi tres Termini sufficiunt in Syllogismo perfecto: Nam duo Termini convenire vel dissentire ostendi possunt sufficienter, interventu tertij, ut medij.* V. Scheib. n. 71. *In* conglobato, *qualis sorites,* falso, *qualis ineptus, &* Cryptico, *qui potestate duplex est, plures termini esse possunt. In* analogismo *quatuor sunt Termini comparationis, sed tres illationis, nam similitudo duobus terminis comprehensa pro uno termino illativo sumitur.* V. Sch. c. l. n.

 80. Ra-

so. Ramei *Terminos vocant argumenta, & termin. med. argumentum tertium. Malè. Argumenta enim* vel *sunt rationes probantes,*vel *sunt maximæ quædam,ex quibus rationes desumi possunt, & sunt integræ propositiones. Et medius Terminus non est argumentum,nam hæc tota ratio & dispositio probans est, ipsum corpus Orationis, ut loquitur* Scalig. l. 3. Poët. c. 70. V. Cl. I. M. disc. l. 1. c. 2. q. 11. *Sed est materia & medium, cujus beneficio argumentatio coälescit. Disponitur enim hic cum extremis quæstionis, ut fiat argumentum. Vt benè* Cl. I. M. c: l. q. 12. *Vnde & medij nomen aptè obtinuit.* V. Schei. n. 70. *Ipsi tres termini in præmissis juncti & copulati, ut una copulativa, sunt argumentum probans & inferens Conclusionem. Latè interdum medium ita vocari queat, quia causa est, unde arg. educitur.* V. Mendoz. d. 10. Log. §. 52.

25. Principia propinqua *sunt* tres propositiones, Major, Minor, & Conclusio. *Propositionis vox hic sumitur* vel latè, *prout definita est* d. 7. t. 14. *Sic omnes tres dicuntur propositiones :* vel strictè, *ut præmissas, sic major & minor sunt propositiones : & sic rectè* Zabar. ad 1: post t. 13. *negat Conclusionem dicendam propositionem, Non enim præponitur Conclusioni :* vel strictissimè, *ut solam primam præmissam notat: Et sic sola major dicitur propositio, minor assumptio. Hæc usurpatio* Rameis est usitata. *Propositiones ad Syllogismum tres requiruntur ad ostendendam consequentiæ evidentiam. In imperfectâ argumentatione vel plures vel pauciores esse possũt. Velut in Enthymemate, Sorite, est. Et sunt* vel simplices, *unde Syllogismus simplex*, vel compositæ, *unde Syllogismus compositus exsurgit. Appellationis rationem, cur aliqua dicatur major, alia minor, vide* apud Mendoz. c. l. s. 2. §. 50.

26. Formalia principia syllogismi *sunt dispositiones figuris & modis formalibus comprehensæ. Hæc principia primò*

mò & directè insunt Syllogismo simplici: secundò, indirectè & virtute composito, quatenùs in simplices resolvi potest. Figura est Dispositio certa & naturalis medij termini cum extremis, perfectam & evidentem illationem suppeditans. Modus est Determinatio propositionum cujusq; figuræ, dispositionem veram dirigens.

27. *De figuris* tria *videnda*, Numerus, ordo, & attributa. *De numero quæritur:* An tres figuræ sufficiant? *Hic in excessu & defectu peccatur. In* excessu à Galeno, *qui quartam adjecit, quæ ab ipso dicitur Galenica. Et defenditur ab* Vrsino d. 14. qu. illu. p. 2. q. vlt. Gassendo l. 1. c. Aristotel. ex. 5. §. 4. Flacius *eam non ignorari debere ait* l. 5. Log. c. 14. *At illa dispositio non respondet naturali discursui, qui ita non procedit. Nec juvat naturam, sed fodicat: non perficit, sed destruit. E. est præternaturalis. E. à Logicâ proponi non debet, quæ naturæ convenientem discursum perficere debet, non præternaturalem. Non experimur, nos naturaliter ita ratiocinantes, Petrus est homo, & homo est animal. E. & quoddam animal est Petrus. Et inde hi Syllogismi sunt inutiles, id est, non sunt in usu: Etsi non sint præcisè inutiles, id est, planè nullum usum habeant: Nam ad indirectas & præternaturales argumẽtationes ostendẽdas sũt utiles, It mq; ad soritẽ interdum coacervandum. Sed hæ arguendi rationes imperfectæ sunt, ob quas peculiari figurâ opus non est, Cum satis ad 1. 2. 3. reduci queãt.* V. Zabar. l. d. qu. fig. c. 5. 8. Cl. I. M. C. 3. d. 8. q. 1. & l. 3. pæd. Log. c. 3. Hipp. q. 33. Log. Mendoz. d. 10. Log. f. 20. Scheib. c. l.

28. *In* defectu *peccat* Valla l. 3 dial. c. 2. & 9. *Alij apud* Hippium q. 32. *Log. qui tertiam figuram reijciunt. Malè. Est enim in hac naturalis illatio. Vt si dicas, Aliquis homo raptus est in cœlum. Nam Elias eò raptus est. Hic discur-*

 sus im-

sus implicatur, qui commodissimè & directè in tertiâ figurâ formatur. Neq; repugnat naturali discursui talis illatio, ut Valla *vult, sed maximè ei conformis est. Nec ulla est ratio, ex quâ repugnet.* Conf. Scheib. c. I. *Nec satis est, in primâ figurâ eum disponi posse. Nam evidentior est ista materia in tertiâ figurâ, quando naturalia subjecta subjiciuntur, prædicata prædicantur, quàm in primâ erit, ubi inversio eorum sequitur. Quicquid sit de formâ dispositivâ, quæ semper in 1. figurâ est manifestissima. Conf.* eundem c. I. n. 16.

29. *De* ordine *quæritur :* An prima jure primum locum obtineat? *Negant Ramei,* Gassendus c. l. Ursinus p. 1. qu. ill. d. 14. t. 63. 64. Ramus l. 7. schol. Dial. c. 5. Taleus, Tempellus, Scribonius, *aliiq;, & tertiam primam faciunt, Quòd sit simplicissima, facilima, artificiosissima. Falsâ hæc. Quod est evidentissimum, notissimum, & discursui naturali simillimum, id hic primum esse debet. Nam à notioribus hic progrediendum. Tale quid est figura prima, quæ naturali discursui apertissimè respondet, nō secunda, non tertia, quæ sunt obscuriores : quicquid sit de* simplicitate, *qua in 3. fig. putatur major : aut* artificiositate, *quæ primum ordinem hic ponere non potest : aut* facilitate, *qua supra primam figuram in nullâ est.* Co. Cl. I. M. c. l. q. 2. & C. 8. d. 4. q. 1. & l. 2. disc. c. 10. q. 4 *aliosq;.*

30. *De* attributis *figurarum quæruntur aliqua ?* An modi figurarum Barbaris vocabulis enuntiandi? *Negant* Ramei : *quòd sint barbara, obscuros Syllogismos faciant, observatu difficillima sint, & aliis commodioribus vocibus exprimi possint. Retinent* Aristotelei, *quòd sint utilissima, Syllogisticam dispositionem manifestissimè determinent, & facilimam argumentandi rationem proponant. Quòd barbara sint, id in technicis vocibus parùm curatur. In Scholis Philosopho-*

rum

rum hic versamur, non Grammaticorum. Cætera, quæ Ramei proponunt, sunt falsa. V. Cl. J. M. c 1. q. 4. Scheib. n. 33. *2.* An modi indirecti addendi figuris? *Quidam addunt. Sed non multum opus: Cum naturali discursui contraveniant, adeoq́; præternaturaliter & obliquè ac indirectè saltem inferant, de quib. in Log. multum præcipere nec pretij, nec usus multum obtinet. De ijs* Conf. Mend. f. 17. t. 10. Scheib. c. 6. n. 11. 12. *3.* An tertia figura rectè dicatur contracta, *quòd semper contractâ formâ reperiatur in authoribus? Ajunt Ramei quidam: Alij id negant, & exempla in contrarium adducunt.* Gocl. p. 4. q. 15. Ursinus p. 1. c. 1. t. 73. *Sive inveniatur sive non apud Oratores formâ contractâ, non statim appellationem Syllogismo dare debet. Non enim Logices norma est Oratorum Usurpatio, sed recta ratio & accurata discursus formatio,* Ut benè Cl. I. M. c. 1. q. 3. & d. 13. probl. q. 1.

31. 4. Cur in 1. figurâ ex majore *particulari, minore negante formaliter nil sequatur? Cur ex majore particulari & omnibus præmissis affirmatis in 2. figurâ nihil? Cur ex minore negante & conclusione universali in tertiâ figurâ nihil? Cur in secundâ medium bis prædicetur, in Tertiâ bis subjiciatur? Causas horum reddit* Cl. I. M. C. 4. d. 2. q. 1. 2. d. 3. q. 1. C. 8. d. 5. q. 2. d. 6. q. 1. 2. d. 7. q. 1. *His ob chartarum angustiam deduci omnia nequeunt.*

32. *Fuerunt* Principia formalia: *Sequuntur* Directiva, *quæ* Consequentiam ejus dirigunt, ut verè & ad lumen Naturæ congruè semper procedat, nunquam ab eo deviet. Suntq́; primaria & secundaria. Primaria, *quæ primò & præcipuè id faciunt. Et duo sunt:* Dici de omni & dici de nullo: *Illud affirmantium, hoc negantium Syllogismorum. Hæc principia an verè talia sint, & quanam in re consistant, disquirunt Logici?* Ramus *in totum reijcit & nugatoria*

gatoria vocat. l. 7. Sch. Log. c. 3. *At naturalis intellectus iis assentitur, & DEVS in naturæ lumen ea manifestissimè inseruit, ut cæcum esse oporteat, qui veritatẽ eorum non videat.* *Conf.* Finkium d. Syll. c. 4. q. 5. Cl. I. M. l. 2. disc. c. 9. q. 3. Alij *propositiones Vniversales affirmantes & negantes esse volunt apud* Zabarel: l. d. 4. fig. c. 6. Reg. l. 3. Log. pro. 5. *At propositio universalis & particularis est in parte secundâ Logices, ubi nondum est principium directivum processus syllogistici, quod hic esse debet. Alij ipsum processum Syllogisticum esse putant.* Zabar: c. l. Finc. d. syll. c. 4. Can. 2. Aver. apud Reg. c. l. Co. Mart. l. 3. p. com. c. 2. *At aliud est processus syllogisticus: aliud principium ejus directivum, quo dirigi, ad quod formari & explorari ille debet, an legitimus sit, recteq; se habeat, Quod hic esse debet. Propriè* princi- pium *processus Syllogistici est, ostendens, quo fundamento syllogismi vis illativa nitatur: Ipse syllogismus est virtute & potestate tantũ, quia ex eo velut radice educi potest. D.* de omni *est principium ostendens vim illativam syllogismi affirmativi: Dictum de* nullo *negativi.*

33. *De his principijs nota:* 1. Hæc *principia primò competunt Syllogismis simplicibus, secundò compositis, & imperfectis, quà in simplices & perfectos resolvuntur: planè non singularibus & expositorijs. Hi enim hic non comprehenduntur.* V. Scheib. n. 21. 2. Principia *hæc manifestè & evidentissimè competunt figuræ primæ, in quà apertissimè ostendi possunt: minùs manifestè & reductivè secundæ & tertiæ, quatenùs ad primam figuram reduci possunt.* V. Zabarellá, Finck. & Reg: c. l. 3. Principia *hæc Logica nituntur his Metaphysicis, Quæ sunt eadem Vni Tertio, inter se sunt eadem, & quæ non sunt eadem Vni Tertio, nec inter se sunt eadem, Quæ Albertus M. pro dici de Omni & Nullo substituit apud* Reg. c. l.

Etsi


Etsi aliàs tertiæ figuræ attribui soleant. Et facilè patet: Nam ideò aliquid contentum sub superiori prædicatum illius admittit, quia est idem illi, seu identitatem cum eo habet, & contrà. Et hæc principia nituntur illis generalibus: Impossibile est idem esse & non esse. Quodlibet est, aut non est. Nisi, quòd dici de O. & N. magis ad Logicam accommodatè exprimuntur: hæc magis ad Metaphysicam. De his pluribus Mendozam d. Log. 10. s. 16. vide.

34. Fuerunt principia Directiva primaria: secundaria sunt, *quæ secundò & consequenter id faciunt. Hæ* regulæ *ex primariis illis extructæ sunt, processum syllogisticum ad verum dirigentes. Vt:* Ex puris particularibus *formaliter nihil sequitur. Partibus ex puris sequitur nihil, atque negatis. Lex generalis erit, medium concludere nescit. Non plures aut pauciores Termini tribus. Termini identicè sumantur quà sensum in syllogismo, id est, non mutentur, augeantur, minuantur, implicentur, contrarientur, &c. Servetur idem genus prædicationis: Non procedatur à non distributo ad distributum, & quæ similia sunt, quæ fusè explicant* Finckius ex l. c. 2. §. 12. 13. Scheib. c. 2. d. syll. Scharfius l. 3. Log. c. 8. Barthol. l. 3. p. com. c. 4. *Exempla horum in contrarium quib. peccatur, fusè* dec. 1. mis. d. 7. *sunt adducta, illisque regula ab opposito illustrata.*

35. *Sic* Directiva princ. *fuerunt: Sequuntur* perfectiva, *quæ* manifestandæ Syllogismi consequentiæ inserviunt. *Suntque duo:* Reductio & Expositio. Reductio est cōsequentiæ formalis syllogismorū 2. & 3 fig. per primã manifestatio. *Negatur à Rameis, Ramo, Beurhu. &c. Sed utilis est in Logicâ, eoque servanda. Vt plurib.* dec. 1. Misc. d. 9. & 21. ostensum. Expositio *est syllogismi 3. figuræ per medium singulare illustratio. De eâ* c. l. t. 22. 23. 24. *pluribus. Hæc de syllogismi principiis sufficiant.*

Auctarium.

De copulâ Tropicâ sub auctariũ Disp. 9. quædam discussa. Iam porrò nonnulla pertexẽda. Dices 5. Plenis velis Calvinismus ꝑ tales sententias de copulâ Tropicâ inducitur. R. Plenis verbis id negamus. Quatuor adhuc hic desunt. Illi copulam in se & solitariè tropicam esse, ratione solius dispositionis talem esse, dispositionem in se & formaliter sumptam citra extrema impropriam esse, & in propositionibus de Cœnâ & Christo tropicam esse statuunt. Omnia hæc nos negamus. 6. Occasio tamen magna aperitur ex generali ad speciale inferẽdi, & sic in Cænâ pro copulâ Tropicâ vehementer laborabunt Reformati, si generale illud, Cop. posse esse Tropicam, illis concedatur. Quod enim de genere affirmatur, de nullâ specie negari debet. R. Occasio â generali ad speciale inferendi aperitur, sc. quod verè speciale est, & sub generali verè continetur. Sed nos enuntiata de cænâ & copulas in illis negamus esse Tropicas, adeoq; sub hoc, copulam posse esse tropicam, negamus copulam cænæ contineri, sed disparari ab eo. Nec dicimus generaliter, Om. copulam posse esse Trop. sic quævis species subsumeretur: Sed indefinitè, Cop. posse esse Tropicam. Indefinita autem in materia contingenti æquipollent particulari, non universali. Hic autem talis est. Tropicum esse posse contingens est in copulâ. 7. Etiam indefinitum hoc, Copulã est uspiam esse Tropicam, semper â Nostris contra Ref. negatum est. R. Sed invitâ veritate. Et negatum est, sed de copulâ est solitariè acceptâ sine extremis, sic enim contendebant Reformati, & materiale prædicatum proprium manere dicebant. Hoc modo & nos cop. Tropicam esse posse universim negabimus. Quando copula est tropica, semper prædicatum materiale, cujus copula attributio ad subjectum est, simul est tropicum, nunquam manet proprium. V. d. 8. t. 6. Plura alijs locis.



H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.